

Augustini, in quibus aperte significat, supposita divina vocatione, determinationem voluntatis ipsi recte tribui, quia non omnino determinatur ab alio, sed a se, quamvis non sine Deo cooperante per adjuvantem gratiam. Ideoque nunquam ratione hujus gratiæ adjuvantis ut sic, tribuit Deo, quod solus efficiat in nobis nostræ voluntatis determinationem. Hunc plane sensum habent illa verba Augustini, libr. 83 Quæstionum, quæstione 68: *Vocatio ante omne meritum voluntatem operatur. Propterea, et si quispiam sibi tribuat quod veniat vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus est.* Quid, quæso, est venire, nisi se determinare ad consentiendum vocationi; ergo, supposita vocatione, non male tribuitur voluntati, secundum Augustinum, quod veniat ac se determinet; non ergo determinatur post vocationem ab aliqua gratia antecedente, quæ cooperans sit; alias non solum non posset quis sibi tribuere quod vocatus sit, verum etiam nec quod determinatus sit, et consequenter nec etiam quod venerit, quia idem sunt. Simile est illud ad Simplicianum: *Ut velimus, suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.* Nam in verbo *sequendo*, determinationem voluntatis intime esse inclusam manifestum est. Si ergo voluit Augustinus nostrum esse sequi, nostrum etiam esse voluit nos determinare, cum divina gratia adjuvante; non vero determinari ab alia antecedente gratia, quam post vocationem non agnoscit Augustinus, ratione cujus tribuatur Deo nostrum velle; alias etiam et multo magis dicere debuisset: *Ut velimus, suum esse voluit, nos determinando.* Ad hoc magis explicandum, considero Augustinum nunquam tribuere soli Deo ea quæ fiunt ab adjuvante gratia, sed Deo et nobis, licet principaliter Deo; et ideo dicit esse necessariam gratiam vocationis, ratione cujus nostra bona opera in solam Dei voluntatem reducuntur, quia dare vocationem solius divinæ voluntatis est; ergo nunquam Augustinus intellexit Deum per gratiam adjuvantem operari in nobis sine nobis, sed per excitantem et vocantem, ut apertissime docet in Enchirid., capite trigesimo secundo. Ergo nulla est adjuvans seu cooperans gratia, qua Deus solus determinet voluntatem nostram; ostensum est autem neque prævenienti gratiæ posse hunc effectum tribui; ergo nulli auxilio gratiæ talis effectus tribuendus est.

Ad motiva igitur alterius sententiæ non est difficile respondere; fatemur enim funda-

mentum illud gratiæ prædestinationis et electionis ad gloriam ante absolutam præscientiam meritorum, seu liberi consensus voluntatis humanæ; fatemur etiam ex hoc principio recte inferri dari prædestinatis efficacem gratiam prævenientem, per quam Deus propositum suum infallibiliter exequitur; addimus vero male ulterius inferri efficaciam illam consistere in physica prædeterminatione, nam sufficit efficacia vocationis certa et infallibilis. Neque plus probat prima objectio, quæ ex definitione prædestinationis ab Augustino tradita sumitur, nempe ex prædeterminatione oriri beneficia quibus certissime liberantur quicumque liberantur; nam etiam ex vocatione congrua, prout a nobis declaratur, certissime sequitur idem effectus. Imo vox illa *certissime* (quæ fortasse non sine magna consideratione ab Augustino posita est), indicat, connexionem seu consecutionem illorum beneficiorum, quibus Deus prævenit liberum arbitrium, cum libero consensu ejusdem arbitrii, habere infallibilitatem ex aliqua præscientia; nam certitudo ad intellectum pertinet, et ideo Augustinus non dixit *necessario* aut *inevitabiliter*.

Ad secundam objectionem respondetur, merito Augustinum tribuere divinæ omnipotentiae efficaciam gratiæ; tum quia, qualiscumque illa sit, creatum quid est, et ideo ex divina omnipotentia procedere necesse est; tum etiam quia solus Deus potest per se immediate agere in intellectum et voluntatem humanam, inter extrinsecas causas; hoc autem provenit ex omnipotentia et dominio quod Deus habet in animam hominis. Nunquam vero dixit Augustinus solam Dei omnipotentiam conferre prævenienti gratiæ talem efficaciam, ut natura sua habeat illam, et determinatam ad unum, etiam quoad exercitium actus, et prædeterminantem simili modo voluntatem ad idem exercitium actus; ad eum modum quo dici potest sol per omnipotentiam Dei esse determinatus ad illuminandum, quia ab illo recepit lucem sic determinatam natura sua ad illuminandum. Quin potius (ut supra dixi), dum Augustinus eisdem locis ait Deum hoc facere miris et innumerabilibus modis, sensit Deum non hoc facere per illum unicum et generalem modum physiciæ prædeterminationis. Item, dum extendit in dict. libro quinto contra Julianum, capite tertio, hos varios et innumerabiles modos, etiam ad actus malos, quamvis Deus non faciat illos, sed utatur illis, ut vult, clare indicat unum ex illis

modis esse tantum permissivum, et non inductivum seu prædeterminativum. Nam, si Augustinus credidisset Deum prædeterminare voluntates malas, quomodo potuisset simul et eodem tenore verborum negare quod faciat illas, imo quod faciat nos facere illas.

Igitur, quamvis hæc gratia efficax a Deo per suam omnipotentiam conferatur, nihilominus omnipotentiae conjungenda est infinita sapientia, neque ab illa potest separari. Nam, cum Deus per intellectum et voluntatem operetur, nostro intelligendi modo scientia præcedit dirigendo voluntatem et executivam potentiam, et ita in præsentia materia præcedit scientia proponens innumerabiles modos quibus hominem vocare potest, ita ut eum infallibiliter convertat, si velit, ut in dict. quæst. 2 ad Simplician., et in epist. 107, aliisque locis, idem Augustinus declarat. Quocirca, quamvis Deus per omnipotentiam suam cooperetur omnibus causis secundis ad suas actiones, non ideo necesse est ut modus concurrendi vel movendi illas idem sit, sed in unaquaque est juxta capacitatem ejus, et juxta modum actionis quam Deus per illum intendit. Neque Augustinus unquam hanc fecit comparisonem quoad similitudinem in determinatione ad unum; sed illam potius excludit in lib. 2 de Peccat. merit., cap. 5, ubi prius ponit differentiam inter bonum et malum actum, dicens Deum nos adjuvare ad bonum, non ad malum actum; quod verum non esset si adjuvaret prædeterminando, quia tunc prædeterminatio esset ad utrumque actum necessaria. Deinde, explicando adiutorium ad bonum, ait non esse excludendam cooperationem nostræ voluntatis, quia Deus adiutor noster dicitur: *Nec adjuvare potest nisi qui aliquid sponte conatur; quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in ovis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Est ergo illa æquiparatio aliter intellecta contra mentem Augustini.

Neque vero hujusmodi similitudo pertinet ad omnipotentiam Dei; quanquam enim probabile sit pertinere ad Dei omnipotentiam quod possit prædeterminare physice voluntatem humanam, necessitatem illi inferendo, quod autem non possit aliter eam præmovere, ita ut infallibiliter operetur sine determinatione ad unum, non solum ad omnipotentiam non pertinet, sed potius multum illi derogat. Igitur, si facienda est comparatio, solum fiat

in hac generali proportionem, quod, sicut Deus potest uti naturalibus causis ad fines suos, juxta consilium voluntatis suæ, ita etiam potest uti causis liberis, prout voluerit, quamquam in modo utendi sit magna diversitas; nam causis naturalibus ordinarie solum utitur dando illis inclinationes naturales, et concurrendo cum illis, et interdum applicando illas localiter per ministerium Angelorum; ad extraordinaria autem vel miraculosa utitur illis, ut instrumentis inanimis, seu ex necessitate motis; voluntatibus vero utitur, vel sinendo eas, et generaliter movendo, concurrendo, aut permittendo, aut inclinando per extrinsecas causas et objecta, vel interius etiam illuminando et inspirando per motionem superioris ordinis, relinquendo semper voluntati liberum consensum cum convenienti adiutorio ejusdem ordinis. Potest etiam interdum uti voluntate, necessitando illam ad exercitium actus, seu, quod idem est, illam physice prædeterminando. Verumtamen hoc, vel nunquam, vel rarissime facit, quia non est consentaneum naturæ voluntatis, et quando id facit, non pertinet ad illam providentiam per quam prædestinati salutem suam consequuntur, quia æterna salus per liberos actus comparatur, ut Augustinus in citatis locis optime indicavit.

Ad tertiam objectionem, respondetur imprimis nunquam Augustinum dicere, non posse voluntatem hominis resistere vocationi, vel prævenienti auxilio Dei, sed ad summum significare nunquam voluntatem resistere huic vocationi, vel auxilio Dei, quando procedit ex proposito seu voluntate Dei salvandi hominem. Longe autem diversum est nunquam actu resistere et non posse resistere, quia multa potest voluntas quæ nunquam facit; et in eo qui præscit an voluntas in tali occasione usura sit tali potestate, necne, facile est excitare illam ut nunquam resistat, etiamsi resistere possit. Deinde dicimus, comparando humanam voluntatem ad divinam omnino absolutam et beneplaciti, verum simpliciter esse humanam voluntatem non posse resistere divinæ, et ita etiam loqui Augustinum, sicut et Scriptura sæpe loquitur. Et ratio est clara, quia voluntas Dei supponit infinitam præscientiam, et habet adjunctam omnipotentiam, cui nulla virtus finita resistere potest. Unde si Deus velit physice prædeterminare et necessitare voluntatem, clarum est non posse hominem ei resistere; si autem Deus absolute velit ut homo libere operetur media vocatione

congrua, non potest homo resistere Deo ne talem vocationem tribuat, et consequenter nec potest resistere illi voluntati Dei, ut non impleatur, quia, licet possit resistere illi vocationi secundum se spectatæ secundum naturalem vim et intrinsecam efficaciam ejus, non tamen potest actualem resistantiam conjungere cum tali vocatione, supposita præscientia quam illud decretum Dei præsupponit. Et hoc modo verum est magis habere Deum in sua potestate voluntatem hominis quam ipse homo, quia non habet homo in sua potestate quod sic vel aliter vocetur, aut quod hoc tempore illud objectum sibi occurrat, quo sibi congruum sit, ut alibi dixit Augustinus; in potestate vero Dei est hominis voluntatem accommodatam habere. Et hic est occultus et mirabilis modus, in quo Augustinus divinam omnipotentiam exaggerat.

Ad quartam objectionem, responsio patet ex proxime dictis, quæ in superioribus etiam sæpe declarata sunt. Fatemur enim ex mente Augustini aliquid esse in hoc negotio, quod in solam Dei voluntatem ultimate resolvitur; illud autem non est prædeterminatio physica, sed est vocatio congrua juxta mentem Augustini; nam de vocatione expresse id declarat in locis citatis, de prædeterminatione autem nullibi. Unde, quoties Augustinus inscrutabile mysterium dicit esse cur ex duobus vocatis unus credat, et alius non credat, et hoc revocat in solam divinam voluntatem, vel in solam gratiam quam uni facit Deus, et non alteri, quanquam posset similiter facere, omnia hæc et similia dicit propter distributiones vocationum, nam ita res disposuisse ut ad hunc perveniat congrua vocatio, et non ad illum, non habet fundamentum in voluntate hominis, sed Dei. Et ita facile explicantur omnia alia loca quæ ibi afferuntur; imo etiam possunt in contrarium retorqueri, nam in omnibus illis simul sumptis, per tales proprietates et attributa explicatur hæc efficacia divinæ vocationis ex proposito, ut plane constat, non sensisse Augustinum illam consistere in generali concursu primæ causæ necessario, eodem proportionali modo in omni genere rerum et actionum; sed consistere in alio modo altiori et occultiori, qui simul sit per infinitam sapientiam, prudentiam ac potentiam, et per modum certæ et infallibilis gubernationis, directionis et suavis inclinationis, non per absolutam et physicam determinationem, ut ex singulorum verborum ponderatione satis comprobatum est. Et hactenus

de mente Augustini, in qua explicanda nimis fortasse prolixi fuimus; sed coegit nos temporum necessitas, et tanti viri auctoritas, ejusque multiplex et varius in hac materia loquendi modus.

CAPUT XXXVIII.

CONFERUNTUR EORUM PATRUM TESTIMONIA QUI AUGUSTINUM PRÆCESSERUNT, ET QUINAM OPINIONI REVERA FAVEANT EXPENDITUR.

Possumus, claritatis gratia, hos Patres distinguere in Græcos et Latinos; prius ergo de Græcis dicemus, postea de Latinis. Primo igitur assertores physice prædeterminationis suam sententiam confirmant testimonio Dionysii, capit. quarto de Divinis nominibus, et sancti Ephrem, tractatu de Vita Religiosa et monastica, tomo tertio, pag. 49; et Basilii, lib. de Spiritu Sancto, cap. septimo; Chrysostomi, homil. 12 in cap. quart. primæ ad Corinth., et homil. de Adam et Eva; et Gregorii Nazianzeni, orat. 31; et Athanasii, in Epist. ad Ephes., cap. 2; Cyrilli Alexandrini, fere æqualis Augustini, in libro de Adoratione in spiritu, pag. 15.

Ego vero in libris de Auxiliis nonnullos ex his Patribus, scilicet, Dionys., Nazianzenum, Chrysost. et Cyrill. Alexandrin., et præterea alios plures Græcos, et antiquiores Augustino retuli, Evodium, Clementem Alexandrinum, Origenem, Justinum, Gregorium Nyssenum, Anastasium Nyssenum, Irenæum, Epiphanium et Theodoretum retuli, ad quos adversarii nihil in particulari responderunt. Nunc autem ut possit lector allegationes allegationibus comparare, advertat necesse est hos Patres non eo sensu a nobis allegari, ut in propriis ac formalibus terminis asserant physicam prædeterminationem repugnare libertati, aut efficaciam prævenientis gratiæ non esse in tali prædeterminatione ponendam; nunquam enim antiqui Patres his vocibus uti sunt, neque hanc quæstionem in propriis terminis tractarunt. Allegantur ergo a nobis, vel quia aliquid dicunt quod verum et catholicum esse non potest, nisi in eo sensu in quo velint physicam prædeterminationem negare; vel quia ita declarant rationem liberi actus, ut recte ex eorum sententia inferatur dictum prædeterminationis modum cum libertate pugnare. Prioris generis sunt verba Justini, quæst. 8 ad Orthodoxos: *Non est causa Deus virtutis nostræ aut vitii, sed propositum nos-*

trum et voluntas. Neque enim doctissimus philosophus et sapientissimus Doctor Catholicus negare potuit absolute et simpliciter, Deum esse causam virtutis nostræ; intelligit ergo non ita esse causam, quin liberam determinationem nobis relinquat, quam nomine propositi declarat. Et quoad hoc æquiparat (quod ponderandum est) virtutem et vitium, non quia Deus non magis sit causa virtutis quam vitii, sed quia, quod attinet ad determinationem, tam non causat Deus virtutem in nobis illo modo, quam non causat vitium. Ejusdem generis sunt verba Chrysostomi, homil. 12 ad Hebræos: *Nostras non antecedit voluntates, ne nostrum lædatur arbitrium.* Neque enim Chrysostomus negare voluit prævenientem gratiam quam aliis locis confitetur, ut alibi ostendi, præsertim lib. 2 de Prædestinatione; negat ergo solum, Deum ita antecedere, ut indifferentiam libertatis auferat, et determinationem in ipsa faciat, priusquam ab ipsa fiat. Simile est quod ait homil. 42 ad Populum: *Nostras non prævenit voluntates, ne nostram temeret libertatem.* Non prævenit (inquit), scilicet prædeterminando; nam excitando et præparando, non dubium quin præveniat. Et ita exponit ibidem illud Psalm. 129: *Ne des in commotionem pedem tuum: Quia in nobis (inquit) est dare, non in ullo altero.* Ubi per verbum dandi explicat facultatem libertatis ad se determinandum, ita ut stet vel cadat. Cum vero dicit hanc facultatem esse in nobis, et non in ullo altero, non excludit concursum Dei concomitantem, sed omnem extrinsecam causam determinantem nos sine nobis. Unde recte sibi objicit: *Quid igitur in Deo nihil est;* et respondet: *Omnia quidem in Deo, sed non ita, ut liberum in nobis arbitrium violetur.* Similem sententiam habet homil. 17 in Joannem, quæ ut Catholica sit eodem modo necessario est interpretanda.

Ad eundem ordinem pertinet locutio Gregorii Nysseni, libro 7 de Philosophia, c. 1, et lib. 8, cap. 4 (alias Nemetii, lib. de Natura hominis, c. 39 et seqq.), et Theodreti, lib. 5 Divinorum decretorum, cap. de Providentia, qui dicunt, ea quæ sunt in nobis, id est a nostro libero consensu pendent, non esse ex providentia. Hæc enim locutio non potest habere alium catholicum sensum, nisi per nomen providentiæ intellexerint talem Dei motionem aut voluntatem, quæ sola sua vi nostram voluntatem determinet. Et simili modo necessario intelligendum est quod dixit Origenes, lib. 2 Periarchon, c. 12, nos non ha-

bere a Deo quod bonum vel malum velimus, id est, non habere a solo Deo, seu per talem solius Dei actionem, quæ voluntatem nostram omnino determinet. Atque his addi potest testimonium Damasceni, quod melius in sequenti capite tractabimus.

Ad posteriorem autem ordinem testimoniorum pertinet quod sæpe dicti Patres docent, quamcumque antecedentem causam, quæ ita voluntatem nostram moveat, vel ad operandum applicet, ut ei non possit resistere, necessitatem inducere ad factum, et tollere libertatem. Ad quod confirmandum plura retuli lib. 3 de Auxiliis, cap. 13, ubi præsertim notanda sunt verba Cyrilli Alexandrini, lib. 8 contra Julianum, sub finem; et multum etiam favent quæ ex Epiphanio et Chrysostomo, Origenem et Theodoretum adduxi, quæ hic repetere non est necesse, et ad hoc etiam facit quod, ad concordandam præscientiam Dei cum libertate, docent præscientiam liberorum actuum futurorum, ut talis est, non esse causam vel rationem futurationis illorum, sed potius supponi quod futura sint, et tunc præsciri. Quo sensu dicunt futura non esse futura, quia Deus illa præscit, sed potius Deum illa præscire quia futura sunt. In quam sententiam retuli ex his Patribus Græcis antiquis, Justinum, Origenem, Chrysostomum et Cyrillum, præter alios Latinos et posteriores Patres. Quibus addi nunc potest Eusebius, lib. 6 de Præparatione Evangelica, capit. 9, ubi necessarium esse existimat præscientiam non esse causam absolute antecedentem et prædeterminantem voluntatem ad futurum consensum, ut liber esse possit. Supponunt ergo hi Patres antecedentem prædeterminationem inevitabilem esse repugnantem libertati. Facit etiam quod iidem Patres sentiunt, repugnare libertati quod voluntas, prius natura quam operetur, habeat in se vim aliquam quæ inducat necessariam habitudinem ad effectum, ita ut jam ipsa non possit actum sustinere. Sic enim dixisse videtur Dionysius, cap. 9, de Cœlesti hierarchia, non esse nobis datam vitam cui vis illata sit aut imposita necessitas, neque divinam providentiam libertatem obtundere.

Denique ad hunc etiam modum spectant testimonia Patrum, asserentium Deum movere hominem suasionem aut vocationem, et non vi aliqua, nam per vim nihil aliud intelligere possunt nisi motionem omnino extrinsecam et physice prædeterminantem voluntatem. Sic Irenæus, lib. 5, cap. 1, dicit Deum re-